

gratis accipere nolentibus, quidam alius minus timoratus praebendam gratis sibi oblatam penuria coactus, cum magno tamen metu, accepit, quem, sicut ipse fatebatur, non prius mente deposuit, quam, elemosinis undecumque potuit collectis¹, consuetudini illius, quamvis nichil ab ipso requirantibus, debita uti sibi videbatur oblatione², satis timens³, ne indebite et cum periculo anime sue stipendium⁴ ab ecclesia acciperet⁵. Et multas quidem religiosas personas introducere possemus et a nobis et ab aliis cognitae, quae praebendas tam canonicas quam monachales, ut ita dicam, precio dato quam gratis accipere malebant, periculum anime se incurrere metuentes, si gratis ab ecclesia cottidianum stipendium susciperent, quod cottidiano obsequio, ut iustum est⁶, non ignorabant debite promereri non posse⁷. Sed quoniam nos longius sermo protraheret, ad verba memorati domni Petri revertentes non sine admiratione replicamus, quod canonicales tantum praebendas emere symoniacum vocavit, quasi monachalis⁸ praebendae⁹ coemptio eadem trutina qua canonicae pensanda non sit, non ideo levioris culpe sit, monachalem praebendam emere, quia ipse monachus fuit, vel quia ipse forsitan absque oblacionibus parentum suorum in monasterium receptus¹⁰, omnes¹¹ in monasterium absque oblacionibus recipi simpliciter ratus est¹². Praeterea non minus admiramur, quod dixit: per interventum¹³ pecunie pestilenter accipiunt. Voluit¹⁴ enim, ut ex ambiguitate sermonis eius ratione mea colligere potui, vel omnem praebende¹⁵ per interventum precii acceptionem absque determinatione pestilentem esse, quod omnino veritati contrarium sonat, vel praebende per precium acceptionem¹⁶, quod de tali viro libenter accipimus, adverbiali adiectione¹⁷ determinandam intendit, qua intentione, siquidem sic intendit, satis pro nobis facit. Hoc est enim quod volumus, quod sentimus, ut huiusmodi coemptionibus determinate acceptis, aliisque canonum et decretorum praeceptis caute animadversis, nullum in ecclesiam scisma¹⁸ obscura aliquorum diligentia educatur. Si enim

1) 'collectis'. 2) Die Verderbnis der Stelle, welche ich nicht zu beseitigen vermag, liegt in 'consuetudini illius'. Es muss etwas da gestanden haben, des Inhalts, dass er noch nachträglich Zahlung leistete (von den Almosen, die er gesammelt hatte); unter 'requirantibus' sind dann die Verleiher der Präbende zu verstehen. 3) 'tī' oder 'tō'. 4) 'stipe' Zeilenende. 5) 'acciperit'. 6) 'ēē'. 7) 'possent'. 8) 'monachalium'. 9) 'praebendae'. 10) 'receptus est'. 11) 'omnis'. 12) 'ratus est' am Rande nachgetragen. 13) 'adventum'. 14) 'Volunt' corr. 15) 'praebende omnem' corr. 16) 'acceptionem per precium' corr. 17) 'adiectione' corr. 18) 'scissima' aus 'scissima'.